



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 52. Mauri in Africa a Lusitanorum Rege bello invasi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A. C. 1458.

§. LII.

Mauri in Africa a Lusitanice Rege bello invasi.

Hoc anno Alphonsus Lusitaniæ Rex unacum Fratre suo, Ferdinando de Villo ejus Patruo, Henrico magno Ordinis Christi Magistro, ac primariis totius Regni Nobilibus, naves conscendit, & passis velis in Africam trajicit, jactisque anchoris ad urbem, quam Alcafariam parvam sexto a Septa lapide distitam nominant, milites suos in terram exponit, tanto molimini pro viribus quidem, incassum tamen, obluçantibus Mauris, qui litora maris obsidebant. Alphonsus omnis moræ impatiens urbem invadit, primoque suorum impetu eam occupat; quam Victor feria quarta die octava decima Octobris in festo S. Lucæ solempni pompa ingreditur, atque Eduardo de Menezes Petri ejusdem nominis Valentiniæ Comitum Filio spurio urbis hujus Præfecturam mandat, ipse vero Septam usque progreditur. Verum Alphonsus vix urbem deseruit, dum Fezzani regni Princeps Alcafariam triginta millium equitum, & copiosissimo peditum exercitu cinxit, eodemque ferme momento urbem quinquaginta bellicis tormentis, quorum non-

nonnulla quadringentarum librarum glo-
 bos emiserant, quateræ cæpit. Lusitani
 singulari virtute obsidentium impetus re-
 tundebant, etsi jam tanta alimentorum
 inopia laborassent, ut famem depulsuri o-
 mnes suos equos jugulaverint, exceptis
 triginta, quos totidem Lusitani ductore
 Henriquez de Menezes Gubernatoris Fi-
 lio conscendunt, urbe erumpunt, e fossis
 aggeribusque Mauros vi dejiciunt, ac
 tormenta adactis clavis obstruunt, & æ-
 ternæ memoriæ digna fortitudinis suæ
 specimina edunt. Hos inter Martinus
 de Tavora Consalvium Vas-Continhium
 sibi maxime infensum e mortis periculo
 liberavit, nec tamen unquam cum eo in
 gratiam rediit. Ceterum Mauri impi-
 grum obsidionis laborem in totam resi-
 dui anni partem protrahunt, tandem ma-
 gis constantia, quam armis Lusitanorum
 nequidem deditionem somniantium las-
 santur, & a cæpta obsidione desistere
 compelluntur, desideratis suorum centum
 millibus & amplius. Tormenta quoque
 quam plurima, ceteraque impedimenta
 Victoribus in prædam reliquerunt. A-
 deo inimicam sibi fortunam Fezzæ Rex
 in expugnatione Alcasariæ urbis exper-
 tus est.

Sæcul. XV.
 A. C. 1458.

Mariana
 Hist. Hisp.
 lib. 22.

L1 2

§. LIII.